UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Methodvs Expeditæ Commvnionis Tum pro Sacerdotibus, tum pro omnibus fidelibus communicaturis

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1657

De eo, qui ante Communionem recordatur peccati indirectè absoluti, §. 8.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41783

Visual Library

§. 8.

De eo, qui ante Communionem recordatur peccati indirectè abſoluti.

60 Confitetur, exempli gratia, quis ritè peccata, qui tamen à Confeſsione in mentem redit aliquod grave à ſe commiſſum, quod, ex inculpata oblivione, confeſſori non aperuit: hic obligabitur ne, ſub mortali, ante communionem præmittere actum contritionis, ſi ei deſit copia confeſſarii? Rurſus, obligabitur ne, ſi confeſſorem in promptu habeat, talis peccati obliti confeſsionem anteandem communionem præmittere? Vel ſi non habeat, ſolum ne urgente neceſsitate, an verò etiam, illa non urgente, communicare poterit? a

61 Ad primum: ſi dolor, a ſub quo facta fuit hujuſmodi

a *De Lug. d. 14. de Euc. ſect. 6 à n. 121.*

confeſsio, non fuit univerſalis de omnibus peccatis, vel ex motivo univerſali, quod ſe extenderet ad hoc etiam peccatum, certum videtur, quòd debeat elicere actum contritionis involventis hoc peccatum: ſi quidem hoc nondum retractatum, non potuit, nę indirectè quidem, remitti: atque adeo remaneat in Pœnitente neceſsitas ſe juſtificandi. At, ſi fuit univerſalis, vel ex motivo univerſali; non obligabitur ad novum contritionis actum: quia jam ſtatum gratiæ per remiſsionem indirectam prædicti peccati obliti, & directam aliorum, quæ fuerunt confeſſori manifeſtata, recuperavit.

62 Ad ſecundum: propter eandem rationem, primo aſpectu, videtur nec obligari ejuſmodi pœnitentem ad præmittendam confeſsionem, nec indigere neceſsitatis urgentis, ad

hoc, ut ſine confeſsione communicare poſsit: præmittitur enim confeſsio, ut dignitatem gratiæ communicaturus acquirat: hic autem jam per confeſsionem prædictam gratiæ ornatum obtinuit: & ex alia parte præceptum, de præmittenda confeſſione ante communionem, jam obſervavit. Hoc ergo peccatum, quod menti de novo fuit oblatum; ſuo tempore, poſt peractam communionem, ſubdi clavibus ab ipſo poterit. Sanè, ita primo, ut dixi, aſpectu, ex vi argumenti, dicendum eſſet: niſi obſtaret praxis fidelium, ex qua colligimus b præceptum, de præmittenda ante communionem confeſsione, non eſſe ſolum de præmittenda confeſsione integra formaliter, ſed etiam, ubi advertimus, materialiter.

b *De Lug. ib. à n. 126*

63 Solum eos liberandos à præmittenda confeſsione talis peccati obliti cenſeo, qui vel

actu celebrant, vel ante altare ad linteum excommunicaturi expectant: hos enim, etiamſi nullam notam infamiæ incurrant; non obligo *c* ad recedendum, quamvis brevi reverſuros. Ratio eſt quia ex una parte irreverenter ſe gererent inchoatam quaſi actionem, ſine clara neceſſitate, relinquendo: ſicuti non bene moratè ſe gereret, qui invitatus à Rege, ubi ſedit ad menſam, vellet, vel ad breve tempus, recedere: & ex alia parte, non apparet clara neceſsitas: quia hic jam eſt juſtus, beneque diſpoſitus, propter abſolutionem indirectam talis peccati. Et adverte, quod idem non tenebitur actum contritionis tunc elicere: quia jam, ut diximus, juſtus eſt: ſolum igitur habeat voluntatem illud oblitum ſuo tempore clavibus ſubdendi.

c Henriq & Victoria apud Fagund 3. Eccl præcept. l. 3. c 9 n 14.

§. 9. *An*